

† **Pl. R. P. Ioannes Ev. Bullen, C. G. (1877-1942)**<sup>1</sup>*(Prov. Angl.)*

Quando nuntium obitus Patris Bullen ad Provinciae matricis sodales pervenit, omnes valde contristati sunt, et adhuc de eius morte dolent, quia cunctis erat valde carus et sincere veneratus ut vir doctus, religiosus, eximie sacerdotalis, orationi, Regularum et Constitutionum observantiae studiisque — cum in discendo tum in docendo — addietissimus.

Die 24 Iulii 1877 prope oppidum Great Crosby, in regione comitatus Lancashire, quae etiam tempore pseudoreformationis catholica mansit, natus est, Parentes eius catholici pii et honesti erant, et familia, ex qua ortus est. in agricultura erat sollers.

Egregia animi et intellectus indole praeditus, ad collegium S. Eduardi urbis Liverpool ob studia persequenda progressus est.

Quando vigesimum circiter annum aetatis suae attigit, desiderium in Cong. SS. R. sacerdotium amplectendi Patribus nostris manifestavit, et ab iis in iuvenatum nostrum Bishop Eton prope Liverpoolium introductus est. Ibi studia humaniora privatim continuabat, simul munus docendi pueros se iuniores exercens; ergo erat iam quasi Lector.

De eius aspectu exteriori satis est dicere staturam eius in altitudine multo magis quam in obesitate fuisse conspicuam. In loquendo necnon in scribendo utebatur modo brevi et saepe aliquantulum conciso, tamen pleno sensus et veritatis, id quod erat inter confratres interdum causa risus et hilaritatis; nam cor plenum caritatis fraternae et benevolentiae possidebat.

Anno 1899 in novitium apud Perth Scotiae situm progressus est addisciturus modum spiritualis vitae a S. Alfonso institutum, qui consistit principaliter in imitando Iesu Christo eiusque virtutibus acquirendis. Novitius devotionem erga B. M. V. diligenter colebat, et cum quondam sodales ruri deambulantes obliti essent Rosarium recitare more solito, Fr. Bullen, coronam in aëre vehementer agitans, exclamavit: « Ecce, Fratres! Sed est tantum levis intimatio! ».

Anno 1900, festo Assumptionis B. M. V., professionem religiosam eadem in domo fecit, et studia maiora persequebatur in variis aliis domibus et

<sup>1</sup> Effigies hic posita desumpta et ex photographia Capituli generalis a. 1936.

Provinciis: in Beauplateau, Mautern, Perth, Bishop Eton. Catalogus anni 1901 p. 53 recenset Pulchriiugi 69 clericos studentes, quorum primus erat P. Schrijvers, quinquagesimus unus Fr. Bullen. Eodem tempore ibi studiis vacabant Episcopi nostri Excm̃i Iacobus Moris et Ioannes Cuvelier.

In Mautern coram omnibus studentibus et Patribus thesim suam detineribus S. Pauli defendit. Quidam opponens contra defendentem positive asserebat S. Paulum sine dubio quemdam locum, quem nominabat, visitasse. Fr. Bullen objectionem contra se factam patienter audiebat; dein suaviter eam reiecit dicens: « Reverende Frater, videris non posse distinguere inter possibilitatem et probabilitatem », et sic res finita erat.

Anno 1905, d. 9 Iulii, ordinem presbyteratus apud Bishop Eton recepit, et postea, iuvenistas docendi causa, in domum nostram Norden prope Rochdale, Lancashire, a. 1909 derelictam, missus est ibique usque ad a. 1908 mansit.

Anno 1908 Scripturam Sacram in studentatu Perth docere coepit; a. 1910 docebat philosophiam; postea per sex annos, ab a. 1915 ad a. 1921, munere Rectoris eiusdem domus perfungebatur, simul S. Scripturam docens. Anno 1921 Rector fit collegii Bishop Eton et paulo post simul Director iuvenatus, philosophiam quoque docens aliquot iuvenes ibi degentes.

Anno 1924 studentes nostros in Erdington qua Lector docere coepit usque ad a. 1926, quo, domo studiorum Hawkstone a Nostris acquisita, eius primus Rector nominatus est et Lector philosophiae.

Anno 1931 officium Consultoris Generalis recepit, quia Consultor Regionis Anglico-Hibernicae P. Iacobus Cotter misere in amentiam inciderat. Novus Consultor Romam advenit d. 15 Aprilis ibique inde ab initio omnes confratres domus generalitiae sibi devinciebat sincera sua bonitate et simplicitate; quivis enim statim intellexit: Ecce alter Nathanaël: *Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est* (Io. 1, 47)! Etiam festivitas eius animi conversationi, quam sive anglice sive gallice sive germanice sive italice sive latine ducere poterat, salem iucundum addebat.

Transegit in hac communitate, pariter ac postea P. Schrijvers, annos novem, donec biduo ante Italiae in bellum ingressum, d. 8 Iun. 1940, una cum PP. Sordet et Car. Lotter, in Galliam, profectus est. Putabant se prudenter sic agere, sed de facto, Romae manentes, nullam molestiam experti essent et minus annonae penuriam.

Festo S. Antonii Patavini P. Bullen venit ad locum ultimae suae in hoc exsilio commorationis, ad domum novitiatus Gannat, ubi iam d. 19 eiusdem mensis primos milites Germanos vidit. Attamen domus et ecclesia

nil damni accepere, et d. 22 Iun. 1941, Festo Matris de Perp. Succursu, P. Bullen illam Missam in gratiarum actionem cantare potuit, quam P. Rector Iulius Charton anno praecedenti voverat.

Sicut tot aliis sacerdotibus, sic Patri Bullen mors *sicut fur in nocte* (cf. 1 Thess. 5, 2) advenit. Determinatus morbus ut mortis causa assignari nequit. Vires eius nunquam fuerant eximiae, et licet confratres domus Gannat, utpote caritate fraterna eminentes, veneratissimo hospiti patria exsuli omnia dabant quae tunc temporis dare poterant, tamen vires dilecti Patris illa durissima hieme magis magisque deminuebantur. Ultimum Sacrum litavit in vigilia Epiphaniae a. 1942. Postea valde defatigatus cubitum ivit, nunquam amplius lecto surrecturus. Fer. IV, 7 Ianuari, Fr. Iulius mane h. 10., ut facere solebat, apud carum senem vigilabat, cum campanula eum ad portam vocavit. Reversus invenit cum magno suo et totius communitatis dolore Patrem Bullen exanimem. Tamen P. Rector, ut in similibus casibus fieri solet, corpus adhuc calidum in fronte olio infirmorum unxit.

Anni undecim, quibus P. Bullen Consultor Gen. fuit, certe eius vitae molestissimi fuere, et proprie quidem ob defectum operae et laboris. Antea, cum esset et Superior domus et Lector et saepe contionabatur, non noverat otium, quod nunc abundabat; confratres enim ex eius Regione solebant potius recta via adire Rmum Rectorem Maiorem ex eadem Regione oriundum. In ecclesia P. Bullen, ob suam surditatem, apostolatam exercere non poterat. Raro habebat occasionem praedicandi exercitia spiritualia lingua sua materna. Initio quidem utebatur tempore libero ad praeparanda pro prelo nova Exercitia spiritualia clero destinata, sed manuscriptum a censoribus repudiatum est cum magno eius dolore, ut ipse nobis dixit. Patet ex illo momento ei, iam aetate propecto, non amplius fuisse animum ad exercendum apostolatam calami. Sed poterat orare et bonos libros legere, id quod constanter fecit usque ad mortem.

Conversatio eius erat iucunda. Paene incapax erat proferendi verbuli alterum offendentis. Per tot annos Lector studentatus fuerat et propterea ei incunda erat omnis quaestio seria. Familiaris ei erat autoironia; sic de se ipse dicere solebat: «Lentus sum et piger et somnolentus; sic quippe natus sum!»

Erat vere *gentleman*, ut dicitur, animo praeditus nobili, similque illa simplicitate, quam Dominus etiam in adultis videre vult. Qui eius confessiones audiebat, debebat admirari conscientiae eius puritatem; quare iamdiu, ut opinamur, in eo completa sunt verba Christi: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo* (Apc. 3, 21).